



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Sophistæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

Quod si Lunam Ægyptii dejectis infra cornibus pinxissent, hieroglyphico eo mensem significari prædicabant, cum palam sit eam in ortu cornua surrigere sursum versus, eo præcipue tempore, quo signa Zodiaci vel recta cadunt, vel oriuntur, quod pars inferior tantum, eaque oculis nostris minima, propinquo occidente Sole conspicua sit. Ad coitum vero properantem, sub septimum & vigesimum itineris decursi diem plane mane conspectam, deorsum cornua dimittere: duobus enim reliquis, quos in assequendo Sole, eoque mox prætereundo consumit, omnino latet, tertio sese incipit ostentare. Hoc eodem significato Poëtæ quoque, Mensem intelligunt, ut illud: *Luna quater la- tuit*: atque eodem modo apud alios passim.

ÆGYPTUS. CAP. XIX.

Antonini
Augusti. Pii
numus.

INT. Antonini Aug. Pii PP. numo, qua parte inscriptio est ALEXANDRIA, videre est humanæ figure signum, quod ambabus manibus Lunam affeet apprehendere: sive sit is adorationis gestus. Ea autem cornibus infra dejectis sita est, tribus in convexo tuberculis, duobus inferne, quæ veluti guttulæ pendentes sunt. A pedibus postica parte, spicæ tres fructu prægravidæ conspiciuntur; ab antica, Crocodilus humi repit, capite in simulacrum id reflexo. Quæ omnia, ut hæ partes alibi declaratae sunt suis quæque locis, Ægyptum ipsam significare, etiamsi non adesset inscriptio, Alexandria, nulli dubium relinquitur.

SOPHISTÆ. CAP. XX.

Varietas autem Lunæ, mutatis quotidie faciebus, adeo conspicua, an fam dedit, ut nonnulli Sophistas per Lunæ hieroglyphicum intellexerint: & Ægyptii Sophistæ quando Luna Ægypti symbolum est, cuius provinciæ Isis domina perhibetur, toto opere notantur. Alia tamen ratione Clitomachus, ut apud Stobæum legere est, Dialecticam Lunæ æquiparavit, quæ nunquam eadem facie sese mortalibus ostendet, nunc accretione nunc diminutione luminis assidue variante, nunquam interquiescat.

INSIPIENTIA. CAP. XXI.

Hinc forsitan
insipientes:
quin & in
sani lunati-
ci quod na-
ti interlu-
nio.
Jul. Firmi-
cu lib. 4.
Mat.

NOstri huiusmodi varietatis ergo insipientiam per Lunæ simulacrum indicarunt: quippe cum propter uniformitatis effigiem, veritatem, propter lumen in Solis corpore, ratione firma præditum intellectum innuerent. Contra per Lunæ varietatem, & nothum lumen, inconstantia mentis accipiebant. Unde Ecclesiast. 27. *Sapiens sicut Sol permanet, insipiens autem sicut Luna mutatur*. Et Matthæi locus de juvene lunatico, qui nonnumquam in ignem, nonnumquam in aquam cadere consueverat. Quod si trahas ad spiritum, animadvertas in talibus impetus quosdam quasi bonorum operum surrepentes, ita ut laudandi videantur, ab iis tamen qui dilucida in eis interval- la non agnoverunt: rursus enim eos minui videas, quodque videbatur in eis lumen, non est diurnum, sed nocturnum lumen, quod quidem usque adeo imminuitur, ut jam penitus deficiat. Atque ii nonnumquam in ignem cadunt, id est, in ardorem concupiscentiæ, in veteres exandescencias, in ulciscendi cupiditatem, in pecuniarum amorem, & vitia reliqua. Nonnumquam in aquam, hoc est, in lubricas mortalium curas in perseverandi desperationem, in ambitionis fluctus, civilesque undas perpetua instabilitate exagitatas. Humana enim vita, ut alibi ostensum, marinæ instabilitati plurimum assimilatur.

PERSÆ. CAP. XXII.

Quod vero Luna Persarum hieroglyphicum esset, superius ex ostento dictum, & quid super eo senserint Ægyptiorum Magi.

weoēd-
vo: Sed
hac ostentio
illu pro
oro fuit.

NOBILITAS. CAP. XXIII.

Pervulgatum & illud est, Lunæ gestamen apud Arcadas nobilitatis hieroglyphicum fuisse, qui quidem Proscelenes ea de causa nuncupati sunt, quod ab Deucalioneo diluvio primi ipsi Lunam inspexisse nascentem se credere: quodque putarent universum humanum genus aquis obrutum.